



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

38. An consuetudo immemorialis censeatur derogata per clausulam
generalem reuocantem consuetudines? Et quid quando consuetudo est
iniqua, & irrationabilis, an censeatur in dictis verbis damnata, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

tae decisiones adducuntur: igitur in concursu consuetudo particularis praevallet generali.

Sup. hoc supra in Ref. 24. §. 2. post medium à vers. Et ideo.

2. Quoad secundam dubitationem respondeo, quod consuetudo non extenditur de loco ad locum, nec de persona ad personam, ex l. §. si quis hoc interdixit, & ibi Bartolus de iur. al. hinc privat. ex l. ius singulare, & l. quod verò contrà, ff. de leg. Aretino consil. 122. n. 4. Decio consil. 483. n. 22. Purpurato consil. 522. n. 12. Vnde ex his sequitur, quod consuetudo in specie probari debet, vt docet Crauetta consil. 96. n. 4. Ripa in respons. lib. 2. c. 25. n. 17. in fine. Paulus de Castro consil. 340. in fine, vers. superest, lib. 2. & ita firmavit Sacra Rota in vna Burgenfi de Cudejo die 3. Iunii 1599. coram Mantica decif. 284. n. 6.

3. Non desinam tamen hinc apponere verba Ioannis Salas de Legibus, disp. 19. sect. 4. num. 10. vbi sic ait: Licet communiter dici solet vsus & consuetudinem, quae iuri communi repugnat, vel praeter illud est, non extendi de loco ad locum, nec de persona ad personam, nec de casu ad casum, vt cum Aretino, Alexandro, Parisio, & aliis, obseruat Menochius de retinend. possess. remed. §. n. 92. eò quod consuetudo & praescriptio habeat tantum de potentia, quantum de vsu & actu, vt ex Baldo, & aliis ibidem comprobatur. Nihilominus cum eadem subest ratio & aequitas, conceditur extensio vsus & praescriptionis, vt post Iasonem, Parisium, & Bartolum, affirmat Menochius ibi num. 65. nec immeritò, quia, vt inquit Crauetus consil. 238. num. 8. consuetudo veritati aequivalet. Quod totum de rationabili consuetudine intellige: nam irrationabilis non meretur nomen consuetudinis, sed corruptelae, vt ait Panormitanus ad cap. cum venerabilis, de consuetud. num. 4. subditque prima fronte irrationabilem praesumi eam, quae est contra sacros Canones. Quando ergo in propria Ciuitate non fuerit consuetudo certa, vel statutum, siue lex de re aliqua, attendenda erit consuetudo vicinarum Ciuitatum, si rationabilis sit & amplectenda in iudicando, iuxta cap. cum eo, de cens. & cap. cum olim, de consuetud. vt ibi Panormitanus num. 1. docet. Sed hoc intellige de interpretatione non authentica, qualem faciunt Doctores, aut iudicia: nam consuetudo vnius Ciuitatis vel Prouinciae non habet auctoritatem inducendi, vel abrogandi legem in alia; licet in dubio afflumi possit ad explicandam vim legis vel consuetudinis alterius Ciuitatis vel Prouinciae.

Sup. hoc in Refol. §. nor. praeterita.

RESOL. XXXVIII.

An consuetudo immemorialis censeatur derogata per clausulam generalem renouantem consuetudines?

Et quid, quando consuetudo est iniqua & irrationabilis, an censeatur in diuersis verbis damnata, & reprobata?

Et asseritur Concilium Tridentinum in clausula, non obstantibus consuetudinibus in contrarium, non includere immemorabilem. Ex p. 6. tr. 5. Ref. 32.

§. 1. Affirmatiuam sententiam, quando additur dictio vniuersalis, tenet Gloss. in Clement. vlt. de rebus Eccles. in fin. ibi Cardinalis, & Imola n. 6. Azevedo in l. 3. n. 21. tit. 2. lib. 2. recop. n. 1. Pelaez de Mierrez tract. de maior. part. 4. q. 20. n. 51. Rochus de Curris in c. fin. de consuetud. n. 525. & sequent. Felinus cap. causam, de sentent. & re iudic. n. 12. & in c. dilecti, n. 1. de maior. & obed. Ruinus vol. 4. consil. 156. n. 8. & hanc opinionem tenet etiam Sanctarellus. variar. so. 1. q. 15. num. 12.

2. Sed negatiuam sententiam ego adhaereo, quam tenetur Afflicti dec. 254. Couarruias lib. 3. variar. cap. 35. num. 5. Menochius consil. 93. num. 7. & consil. 96. n. 65. & consil. 291. num. 96. Castrus Palaus tom. 1. tract. 3.

disp. 3. punct. 4. §. 1. num. 10. Gordonus in summa, tom. 1. lib. 2. quaest. 14. cap. 8. num. 27. & ita determinauit Sacra Congregatio sub die 4. Maij 1573. teste Cardinali Belatmino in Concilio Tridentinum, sess. 22. cap. 7. litera S. & sess. 24. c. 4. lit. Z. & sequitur Rota in vna Placentina Canoniatu die 25. Maij 1612. apud posthumas Farinacij, tom. 2. decif. 286. num. 1. & ratio est: quia pro consuetudine immemorabili titulus iustus praesumitur, & habet vim priuilegij à Principe concessi, sed priuilegium non derogari censendum est ex clausula generali derogante consuetudinem. Ergo, &c. Et ita hanc opinionem praeter Doctores citatos docet Gonçales in regul. 8. Cancellariae, gloss. 33. n. 5. Garzias de beneficiis, tom. 1. part. 3. cap. 2. num. 194. & 195. cum Narbona recop. lib. 2. tit. 4. lib. 59. gloss. 1. num. 240. vbi adducit plures declarationes Sacrae Congregationis afferentes Concilium Tridentinum in clausula, non obstantibus consuetudinibus in contrarium, non includere immemorabilem.

3. Non desinam tamen hinc adnotare, quod valde menti tenendum est, quod licet ex dictionibus vniuersalibus adunatis verbo consuetudini non censeatur derogatum consuetudini immemorabili: tamen quando consuetudo est iniqua & irrationabilis, censeatur in dictis verbis damnata & reprobata. Et ita cum multis Doctoribus, tenet Sanctarellus variar. resolut. tom. 1. c. 4. n. 37. & firmavit Sacra Rota in vna Craouienfi iuris legendi die 21. Maij 1627. coram Domino meo Coccino Decano apud Guerulios Venetos decif. 71. num. 3. & 7. Vide etiam Narbonam de appellat. vicar. part. 2. fundam. 4. n. 19.

Quoad hoc in tom. 9. tr. 1. lege doct. inam Ref. 9. per totum & aliarum eius not. de signanter post medi. eius §. r. cursum in vers. Ita sit rez.

RESOL. XXXIX.

An quando Ecclesia verustate colapsa sunt instauranda, possint Parochi collectas exigere a populo, vel ad collationem possint etiam Canonici compelli? Et quid, quando consuetudo adest, vt populus reficiat Ecclesiam? Ex p. 8. tract. 7. & Mil. Ref. 16.

§. 1. Affirmatiuam sententiam aliqui iudicant probandam, auctoritate Abb. in c. 1. n. 4. extra de Eccles. adif. Bertrand. consil. 41. n. 26. lib. 4. & consil. 126. n. 12. vol. 1. pag. 2. Natta consil. 212. n. 7. in fin. versic. Ex quo infero. Thelaurus decif. 149. n. 7. Decian. consil. 14. n. 36. vol. 2. Pacian. consil. 7. num. 98. & segg. Surd. consil. 62. n. 26. Euerhard. iun. consil. 35. vol. 2. Borell. consil. 2. n. 11. & segg.

2. Si tamen portio reddituum fabricae Ecclesiae deputata sufficiat, ex ea reparatio Ecclesiae fieri debet, canon. vn. 30. q. 3. & can. decernimus 10. q. 1. Abbas in dist. c. 1. n. 3. Bertrand. dist. consil. 41. num. 26. & consil. 181. num. 2. vol. 7. Quod si portio isthaec non sufficiat, tunc Rector, & Beneficiarij Ecclesiae, secundum quod ibi precipiunt, conferre debent. c. 1. & cap. de his, extra de his, que sunt à maiore part. cap. canon. si Monachus 16. q. 1. Ad quam collationem etiam Canonici possunt compelli. Surd. dist. consil. 62. n. 9. Bertrand. dist. consil. 41. n. 26. & dist. consil. 181. n. 3.

3. Quando autem consuetudo adest, vt populus reficiat Ecclesiam, tunc ab hoc onere liberatur Rector, siue Curatus Parochialis, Abb. in dist. cap. 1. extra de Eccles. adif. Specular. tit. de Eccles. adif. can. Bertrand. dist. consil. 41. num. 26. lib. 3. Surdus dist. consil. 62. n. 16. & 19.

4. Sed quando casus acciderit, ne desetas videre Petrum Pecium in lib. de sacrosanctis Ecclesiis reparandis, ac reficiendis, in quo per quadraginta capita, totam materiam late, & credite pertractat.

RESOL.